# COMMENTARIORUM

# LIBRI III

# DE BELLO CIVILI

1º Bachillerato
2021-2022

# I.- LIBER PRIMVS (1-87):

1ª.- [I.37.1] dum haec parat atque administrat, C. Fabium[1] legatum cum legionibus tribus[2], quas Narbone circumque ea loca disposuerat, in Hispaniam praemittit celeriterque saltus Pyrenaeos occupari iubet, qui eo tempore ab L. Afranio legato tenebantur.

2ª.- [I.37.2-3] reliquas legiones subsequi iubet. Fabius, ut erat imperatum[3], praesidium ex saltu deiecit magnisque itineribus ad exercitum Afrani contendit.

3ª.- [I.38.1-2] adventu L.Vibulli Rufi, qui a Pompeio in Hispaniam missus est[3], Afranius et Petreius et Varro, legati Pompei officia inter se partiuntur, uti Petreius ex Lusitania per Vettones cum omnibus copiis ad Afranium proficiscatur.

4ª.- [I.38.2-3] Varro cum eis legionibus quas habebat omnem ulteriorem Hispaniam tuetur.

5ª.- [I.38.4] quibus coactis celeriter Petreius per Vettones ad Afranium pervenit, constituuntque bellum ad Ilerdam propter ipsius loci opportunitatem gerere.

6ª.- [I.39.1] erant, ut supra demonstratum est[3], legiones Afranii tres, Petreii duae, praeterea ulterioris Hispaniae cohortes circiter LXXX equitumque utriusque provinciae circiter V milia.

7ª.- [I.39.2] Caesar legiones in Hispaniam praemiserat VI, auxilia peditum V milia, equitum III milia, quae omnibus superioribus bellis habuerat.

8ª.- [I.39.3] audiverat Pompeium per Mauretaniam cum legionibus iter in Hispaniam facere. simul a tribunis militum centurionibusque mutuas pecunias sumpsit; has exercitui distribuit.

---

[1] Los nombres propios de esta página son: ***Afranius*** *-ii, m* = Afranio (persona); ***Fabius*** *-ii, m* = Fabio (persona); ***Hispania*** *-ae, f* = Hispania (región); ***Ilerda*** *-ae, f* = Ilerda (lugar); ***Lusitania*** *-ae, f* = Lusitania (región); ***Mauritania*** *-ae, f* = Mauritania (región); ***Narbo*** *-onis, f* = Narbona (lugar); ***Petreius*** *-ii, m* = Petreyo (persona); ***Pompeius*** *-ii, m* = Pompeyo (persona); ***Pyrenaei*** *-orum, m* = los Pirineos (lugar); ***Varro*** *-onis, m* = Varrón (persona); ***Vettones*** *-ium, m* = Vetones (gentilicio); ***Vibullus*** *Rufus -i, m* = Vibulo Rufo (persona).

[2] Esta palabra viene de *tres*, no de *tribus*.

[3] Es una forma verbal de perfecto pasivo.

9ª.- [I.40.1] Fabius[4] finitimarum civitatum animos litteris nuntiisque temptabat. in Sicori flumine pontes effecerat duos distantes inter se milia passuum IIII. his pontibus pabulum mittebat.

10ª.- [I.40.4] quo cognito a Petreio et Afranio, celeriter Afranius suo ponte, quem oppido castrisque coniunctum habebat, legiones IIII equitatumque omnem traiecit duabusque Fabianis occurrit legionibus.

11ª.- [I.40.5] huius adventu nuntiato L. Plancus, qui legionibus praeerat, necessaria re coactus locum capit superiorem diversamque aciem in duas partes constituit.

12ª.- [I.40.7] commisso ab equitibus proelio signa legionum duarum procul ab utrisque conspiciuntur, quas C. Fabius nostris miserat. quarum adventu proelium dirimitur, ac suas uterque legiones reducit in castra.

13ª.- [I.41. 1] Caesar cum equitibus DCCCC, quos sibi praesidio reliquerat, in castra pervenit. pons, qui tempestate fuerat interruptus[5], paene erat refectus[5]; hunc noctu perfici iussit.

14ª.- [I.41.2] ipse cognita locorum natura ponti castrisque praesidio sex cohortes reliquit et postero die omnibus copiis ad Ilerdam proficiscitur et sub castris Afranii constitit

15ª.- [I.41.2-3] Afranius copias educit et in medio colle sub castris constituit. Caesar, ubi cognovit quominus proelio dimicaretur, ab infimis radicibus montis intermissis circiter passibus CCCC castra facere constituit.

16ª.- [I.41.4] et, ne[6] milites repentino hostium incursu exterrerentur, vallo muniri vetuit, sed a fronte contra hostem pedum XV fossam fieri iussit.

---

[4] Los nombres propios de esta página son: ***Afranius*** *-ii, m* = Afranio (persona); ***Caesar*** *-aris, m* = César (persona); ***Fabius*** *-ii, m* = Fabio (persona); *Hispania -ae, f* = Hispania (región); ***Ilerda*** *-ae, f* = Ilerda (lugar); *Lusitania -ae, f* = Lusitania (región); *Mauritania -ae, f* = Mauritania (región) *Narbo -onis, f* = Narbona (lugar); ***Petreius*** *-ii, m* = Petreyo (persona); ***Plancus*** *-ii, m* = Planco (persona); *Pyrenaei -orum, m* = los Pirineos (lugar); ***Sicoris*** *-is, m* = Sicore (río);*Varro -onis, m* = Varrón (persona); *Vettones -ium, m* = Vetones (gentilicio) *Vibullus Rufus -i, m* = Vibulo Rufo (persona).

[5] Es una forma verbal de perfecto pasivo.

[6] ne = ut non.

17ª.- [I.41.5] prima et secunda acies in armis permanebat; post has opus in occulto a III acie fiebat. sic omne est perfectum priusquam intellegeretur ab Afranio castra muniri.

18ª.- [I.41.6] sub vesperum Caesar intra hanc fossam legiones reducit atque ibi sub armis proxima nocte conquiescit.

19ª.- [I.42.1] postero die omnem exercitum intra fossam continet et similem rationem operis instituit singulaque latera castrorum singulis attribuit legionibus fossasque ad eandem magnitudinem perfici iubet; reliquas legiones in armis contra hostem constituit.

20ª.- [I.42.3-4] illi non diu commorati copias in castra reducunt. tertio die Caesar vallo castra communit; reliquas cohortes, quas in superioribus castris reliquerat, impedimentaque ad se traduci iubet.

21ª.- [I.43.1] erat inter oppidum Ilerdam et proximum collem, ubi castra Petreius atque Afranius habebant, planities circiter passuum CCC, atque in hoc fere medio spatio tumulus erat paulo editior[7].

22ª.- [I.43.3] hoc sperans legiones III ex castris educit acieque in locis idoneis instructa unius legionis antesignanos procurrere atque eum tumulum occupare iubet.

23ª.- [I.44.3-4] haec tum ratio nostros perturbavit; itaque perturbatis antesignanis legio, quae in eo cornu constiterat, locum non tenuit atque in proximum collem sese recepit.

24ª.- [I.45.1] Caesar paene omni acie perterrita legionem nonam subsidio ducit; hostem insolenter atque acriter nostros insequentem supprimit.

25ª.- [I.46.4] ita vario certamine pugnatum est. nostri in primo congressu circiter LXX ceciderunt, in his Q. Fulginius ex primo hastato legionis XIIII, qui propter eximiam virtutem ex inferioribus ordinibus in eum locum pervenerat;

[7] **-ior** es el sufijo de adjetivo comparativo (igual que en español el sufijo **-(i)or**: ma**yor**, men**or**, me**jor**, pe**or**, super**ior**, infer**ior**, etc.)

vulnerantur amplius DC.

26ª.- [I.46.5] ex Afranianis interficiuntur T. Caecilius, primi pili centurio, et praeter eum centuriones IIII, milites amplius CC.

27ª.- [I.47.4] illi eum tumulum, pro quo pugnatum est, magnis operibus munierunt praesidiumque ibi posuerunt.

28ª.- [I.48.2-3] tum autem ex omnibus montibus nives proluit ac summas ripas fluminis superavit pontesque ambo, quos C. Fabius fecerat, uno die interrupit. quae res magnas difficultates exercitui Caesaris attulit.

29ª.- [I.49.1] at exercitus Afranii omnium rerum abundabat copia. multum erat frumentum provisum et convectum superioribus temporibus, multum ex omni provincia comportabatur; magna copia pabuli suppetebat.

30ª.- [I.50.1] hae permanserunt aquae dies complures. conatus est Caesar reficere pontes; sed nec magnitudo fluminis permittebat, neque ad ripam dispositae cohortes adversariorum perfici patiebantur.

31ª.- [I.51.1-2] venerant eo sagittarii ex Rutenis, equites ex Gallia cum multis carris magnisque impedimentis. erant praeterea huius generis hominum milia circiter VI cum servis liberisque;

32ª.- [I.51.4] cum omne equitatu tribusque legionibus Afranius de nocte proficiscitur imprudentesque ante missis equitibus aggreditur. celeriter sese tamen Galli equites expediunt proeliumque committunt.

33ª.- [I.51.5] magnum hostium numerum pauci sustinuerunt; sed ubi signa legionum appropinquare coeperunt, paucis amissis sese in proximos montes conferunt.

34ª.- [I.52.2-3] militum vires inopia frumenti deminuerat; et tam paucis diebus magna erat facta rerum commutatio.

35ª.- [I.52.4] Caesar eis civitatibus quae ad eius amicitiam accesserant pecus imperabat;

36ª.- [I.54.1-2] cum pontes perfici possent, imperat militibus Caesar ut naves faciant. carinae ac prima statumina ex levi materia fiebant; reliquum corpus navium viminibus contextum coriis integebatur.

37ª.- [I.54.3] has perfectas carris iunctis devehit noctu milia passuum a castris XXII militesque his navibus flumen transportat collemque improviso occupat.

38ª.- [I.54.4] collem hunc celeriter, priusquam ab adversariis sentiatur, communit. huc legionem postea traicit atque ex utraque parte pontem institutum biduo perficit.

39ª.- [I.55.1] eodem die equitum magnam partem flumen traiecit. magnum numerum iumentorum atque hominum intercipiunt cohortibusque cetratis subsidio missis scienter in duas partes sese distribuunt.

40ª.- [I.55.2] unam cohortem, quae temere ante ceteras extra aciem procurrerat, seclusam ab reliquis circumveniunt atque interficiunt incolumesque cum magna praeda eodem ponte in castra revertuntur.

41ª.- [I.59.1] hoc primum Caesari ad Ilerdam nuntiatur; simul perfecto ponte celeriter fortuna mutatur.

42ª.- [I.60.1-2] interim Oscenses et Calagurritani, qui erant Oscensibus contributi, mittunt ad eum legatos. hos Tarraconenses et Iacetani et Ausetani et paucis post diebus Illurgavonenses, qui flumen Hiberum attingunt, insequuntur.

43ª.- [I.60.3-4] transit etiam cohors Illurgavonensis ad eum cognito civitatis consilio et signa ex statione transfert.

44ª.- [I.60.5] magna celeriter commutatio rerum. perfecto ponte, magnis quinque civitatibus ad amicitiam adiunctis, expedita re frumentaria, exstinctis rumoribus de auxiliis legionum, multae longinquiores civitates ab Afranio

desciscunt et Caesaris amicitiam sequuntur.

45ª.- [I.61.1-2] nactus idoneum locum fossas pedum XXX in latitudinem complures facere instituit. his paene effectis magnum in timorem Afranius Petreiusque perveniunt itaque constituunt illis locis excedere et in Celtiberiam bellum transferre.

46ª.- [I.61.4-5] magnos equitatus magnaque auxilia exspectabant et suis locis bellum in hiemem ducere cogitabant. toto flumine Hibero naves conquiri et Octogesam adduci iubent. id erat oppidum positum ad Hiberum miliaque passuum a castris aberat XXX.

47ª.- [I.61.6] ad eum locum fluminis navibus iunctis pontem imperant fieri legionesque duas flumen Sicorim traducunt, castraque muniunt vallo pedum XII.

48ª.- [I.62.1] qua re per exploratores cognita summo labore militum Caesar continuato diem noctemque opere in flumine huc iam rem deduxerat, ut equites auderent flumen transire

49ª.- [I.62.3] sed tamen eodem fere tempore pons in Hibero prope effectus nuntiabatur et in Sicori vadum reperiebatur.

50ª.- [I.63.1] itaque, duabus auxiliaribus cohortibus Ilerdae praesidio relictis, omnibus copiis Sicorim transeunt et cum duabus legionibus, quas superioribus diebus traduxerant, castra coniungunt.